



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxx [i.e. xi]. In prædicatione affectâ signo uniuersali vel particularita[m]
subjectu[m] quàm prædicatum amittit universalitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

XI. Universale, respectu suorum inferiorum dicitur totum potestativum, seu potentiale, utpote continens partes suas potentiales, potestativas, seu subjectivas, id est, inferiora, non actu, sed potentia, in quantum nimirum confuse cognitum V. G. *animal* sub se quidem has partes comprehendit, vi tamen istius confuse cognitionis solius, de iis affirmari actu non potest, si ve in quantum omnia inferiora, quæ nunc simul sunt objectum adæquatum cognitionis confuse, possunt dein singula esse objectum cognitionis claræ, dicuntur partes potestativæ vel potestate in tali toto contineri. Dum actu prædicatur de inferioribus prædicatione ordinata, prædicatur ut totum potestativum, in hoc tamen sensu: id, quod est totum potestativum extra prædicationem, vi tamen actualis prædicationis non manet totum, quia actu contrahitur ad tale inferius, adeoque non manet amplius contrahibile ad alia inferiora, quod requiritur ad tale totum: è contra dum inferius de superiori prædicatur, per prædicationem inordinatam. V. G. *homo est Petrus*: prædicatur pars potestativa, quæ fuit talis, non autem ut manens talis, quia ut talis debet

debet confusè cognosci, contineri sub toto, hìc autem cognoscitur clarè contineri sub illo.

XII. Porrò universale retinet universalitatem, dum actu prædicatur nullo affectum signo de universali nullo affecto signo V. G. cum dicitur: *homo est rationalis*, quia vi talis prædicationis ita subjectum & prædicatum repræsentantur, ut cum sint multa singularia, neque tamen singularitas, neque pluralitas appareat. Vel etiam vi talis prædicationis universalitate latiori V. G. genereitate amissa, acquirit strictiorem V. G. specieitatem, ut cum dicitur: *homo est animal*. In prædicatione verò, saltem affirmativa, in qua additur signū universale, tam subjectum, quàm prædicatum amittit universalitatem, quia etsi præscindatur adhuc aliquo modo à singularitatibus, & singularia aliquo modo confusè cognoscantur, repræsentatur tamen ipsa pluralitas etiam ex parte prædicati, utpote quod clarè cognoscitur identificari subjecto, adeoque multis: idem est si subjectum afficiatur signo particulari, ibi enim exprimitur pluralitas ex parte prædicati disjunctivè. Item in prædicatione singulari vel particulari, in qua

C

genus,